



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XIX. De Usuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

TITULUS XIX.

De Usuris.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid & quotuplex sit Usura.*
3. *Usuræ strictè lucratoria Jure, etiam Natu-
li, sunt prohibita.*
4. 5. *At solum conditionato, nisi statutum vel con-
suetudo illas permittat.*
6. *Compensatoria, & moratoria sunt licita.*
7. *Quinam sint justì tituli aliquid exigendi ultra
sortem mutuo datam.*
8. 9. *Nec emptio Censûs realis vel personalis.*
10. *Neque Cambium, Montes pietatis, contractus
Societatis &c. continent usuram.*
11. *Bene tamen contractus Mohatra, Anato-
mus, pactum Antichreseos &c.*
12. *An sit obligatio solvendi usuras promissas.*
13. *An acceptas restituendi. Et cui.*
14. *Qua sint pœna usurariorum.*
15. *Quid statuât S. C. Macedonianum &c.*

I **U**suræ propriè, & objectivè sumpta, est
lucrum immediatè ex mutuo proveniens
formaliter accepta est conventio vel
pactum de tali lucro ultra sortem creditam (vel
capitale mutuo datum) dando quasi ex justitia de-
bito, ut si mutuos alteri des centum, & stipuleris
ut præter sortem, seu creditos 100. suo tempore
ampliùs aliquid vel semel, vel singulis annis, v. g.
5. aut 6. aut 10. solvat ex solo titulo *Mutui*. Nes
est

est necesse, ut illud *lucrum*, seu auctarium, consistat in pecunia, sed sufficit, si res alia (vel etiam obsequium, aliunde non debitum) prætiò æstimabilis exigatur vel accipiatur, quasi debita ex obligatione Justitiæ: necesse tamen est, ut *lucrum* præcisè proveniat ex *Mutuo*; si enim proveniret ex alio contractu, emptione, venditione, locatione, conductione, societate &c. Usura non committitur, nisi forsitan *Palliata*, *Tacita*, aut *Virtualis*, sicut quidam, ut evitent turpe nomen *usurarii*, versutè non vocant contractum *Mutui*, sed alium prætendunt, Emptionem &c. ex quo *lucrum* quærunt ultra sortem. Unde hîc etiam examinabimus illa negotia, in quibus intervenire potest usura *Palliata*, item alios contractus, qui videri possunt esse *usurarii*, non tamen sunt.

Dixi autem, Usura *propriè sumpta*, ubi nempe alius titulus seu justa causa aliquid ultra sortem accipiendi præter *Mutuuum* non intèrvenit, & communiter appellatur *usura lucratoria*; si enim alius adesset titulus, v. g. *damnum emergens*, *lucrum cessans* &c. respectu *Mutuantis*, usura foret *Compensatoria*, & non tam *lucrum*, quàm *interesse*, seu *quòd interest*, dicendum foret, quod exigitur & accipitur à *Mutuatario*; item, si *mutuans* paciscatur cum *mutuatario*, ut, si intra certum tempus non reddat *mutuum*, propter *moram* quasi in *pœnam* aliquid solvat ultra sortem, usura *Punitoria*, vel *Moratoria* dicitur; demum si ex alio justo titulo, v. g. ex mera liberalitate *mutuatarii*, vel ratione statuti vel consuetudinis, quos titulos pariter examinabimus, aliquid ultra sortem *mutuò datam* accipiatur, non datur usura
pro-

propriè & strictè dicta, seu merè lucratoria ex
 Mutuo. *Mutuum* verò formaliter sumptum de-
 finitur esse *contractus realis, Juris Gentium, No-*
minatus, Unilateralis, & stricti Juris, quo res sur-
gibilis (pecunia frumentum &c.) in alterum trans-
fertur ea lege, ut res ejusdem generis, quantitatis,
& qualitatis restituatur, scilicet post aliquod tem-
 poris intervallum morale, intra quod mutuatarius
 re mutuo data, cujus dominium acquirit, uti &
 utendo consumere potuit. *Mutuum* objectivè
 sumptum est res mutuo data. Qui dat *Mutuum,*
Mutuans vel creditor, qui accipit, *Mutuatarius*
 dicitur, vel debitor. Lucrum inde acceptum
 vocatur quoque *fœnus, vel usura.* Ex hucus-
 que dictis patet, quòd *Usura* alia sit *Lucrato-*
ria, alia *Compensatoria,* alia *Moratoria:* item
 alia *Formalis & Manifesta,* alia *Virtualis, Pallia-*
ta, aut *Tacita.* Rursus alia est *Realis,* vel *Con-*
ventionalis, quando datur mutuum cum pacto
 expresse vel tacito, de lucro ultra sortem seu
 summam creditam: alia *Mentalis,* quæ non con-
 sistit in voluntate interna capiendi lucrum ex
 Mutuo, & rectiùs vocaretur *Interna,* sicut de *Har-*
monia diximus, cum qua magnam vicinitatem ha-
 bet *Usura,* sed consistit partim in actu externo
 mutuationis partim in intentione (exteriùs tamè
 non manifestata) accipiendi aliquid ultra sortem
 quasi ex *Justitia* debitum, & hinc pactum con-
 pletum non involvit. Denique sunt & alie mu-
 tuationes, nimirum *Centesima,* ubi pro 100. quolibet
 anno exiguntur 12. velut lucrum, nempe quod
 bet mense pro centum unus florenus: *Bessales,* ubi
 pro 100. petuntur 8. *Semisses,* ubi 6. *Quinquagesima,* ubi 5.

ces, ubi 5. Quadrantes, ubi 3. & Trientes, ubi 4. nam ter quatuor, vel quater tria, conficiunt duodecim, seu totum in 12. uncias divisum.

Dico I. Usura Lucratoria, seu propriè dicta, 3
quamvis de *Jure Civili* (nisi sit excessiva, vel usura usurarum) sit permissa. *l. 1. l. 26. §. 1. l. 28. C. C. h. t.* *Jure tamen Canonico* graviter est prohibita. *t. h. t. x. & in 6. Clem. un. §. fin. eod.* Imò etiam *Jure Divino* *Levit. 25. Deut. 23. Psal. 54. & c. Luc. 6.* textus *Levit. 25. v. 36.* sic habet: *ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quàm dedisti - pecuniam tuam non dabis ad usuram.* Quin & *Jure Naturali*, quod prohibet capere lucrum ex re aliena, & non amplius sua: sed res mutuò data non amplius est mutuantis; item prohibet exigere aliquid vel accipere sine justo titulo, qualis non est titulus solius Mutui; vel aliquid accipere ultra summum rei pretium. Adde, quòd *c. 4. h. t.* dicatur, *usurarum crimen utriusque Testamenti paginam detestari*: atqui non aliæ Leges Veteris Testamenti post Christi Adventum perdurant, nisi *Morales*, seu fundatæ in lege Naturæ: ergo.

Objic. 1. Usuræ non petuntur vel accipiuntur nisi volente & consentiente mutuatario: ergo sine injuria & injustitia; quia liberè consentienti non fit injuria. 2. In omni contractu licitum est conditiones apponere. *c. 85. de R. J. in 6.* imò etiam in emptione-venditione spectato *Jure Naturali* licitum est Partibus convenire de minori pretio, quàm aliàs rei valor sit: ergo etiam in Mutuo licebit, spectato *Jure Naturali*, mutua Partium voluntate conditionem de auctario ultra sortem solvendo pacifici. 3. In Mutuo cedit pecunia mu-

Pars II.

U u

402-

tuata in commodum solius mutuatarii: ergo æquum est, ut vicissim mutuans recipiat commodum ex usuris propterea sibi solvendis. 4. Conductor debet præter rem sibi locatam suo tempore & post usum reddere mercedem: ergo iniquum non est, ut mutuatarius præter rem mutui acceptam reddat usuras velut mercedem. 5. *si* consuetudinis vel statuti licitum est accipere 5. vel 6. pro 100. mutuo datis, quos vocant *usus Germanicos*: ergo Jure naturali, contra quod utique nihil valet consuetudo vel statutum, non est illicitum accipere in Mutuo aliquid ultra sortem. *R.* ad 1. Mutuatarius non consentit sponte, sed adactus partim propriâ indigentia, cum aliunde non habeat, ex quo subleuet præsentem necessitatem, partim averitiâ mutuantis mutuum non dantis nisi sub usuris. Ad 2. *dist. ant.* licitum est apponere condiciones justas. *C. Ant.* quasque, etiam iniquè prementes. *N. Ant. & Cons.* Etiam in aliis contractibus non est licitum apponere condiciones, quibus inter contrahentes inducitur inæqualitas, & unus necessitate præsumitur cogitur eas amplecti, v. g. ut venditor debet infra justum pretium infimum rem vendere. Ad 3. Ubi alius non datur titulus accipiendi aliquid ultra sortem, nisi quod mutuatario ex mutuo adveniat utilitas, iniquè accipitur; sicut si venditor vendere rem majori pretio, quàm sit sortem, ex eo capite tantum, quod emptori aliquid sit utilitatem. Ad 4. *C. Ant. N. Cons.* Res locata manet in dominio locantis, adeoque huic debet fructificare, præsertim cum periculum ipsum sit periculum rei: econtra res mutuata non

manet in dominio mutuantis, sed transit in mutuatarium, & penes hunc est periculum: ergo huic, non mutuanti, fructificare debet. Ad 5. *Antec.* quamvis plurimi negent, ego tamen admitto, & statim probabo, *N. Conf.* vel *dist.* ergo non est illicitum Jure Naturali absoluto. *C. Conf.* conditionato, seu sub conditione, nisi Legislator humanus faciat statutum contrarium, vel opprobet consuetudinem usuras permittentem. *N. Conf.* Unde

Dico 2. Usuræ lucratoriæ moderatæ, quas accipiendi alius titulus, v. g. damni emergentis, lucri cessantis, periculi amittendæ sortis (quia v. g. mutuas dans pecunias cum illis non negotiaretur, pro credita sorte obtinet securam hypothecam &c.) non facit licitas, per statutum loci, vel consuetudinem, probabilius licitæ: seu statutum vel consuetudo est justus titulus aliquid ultra sortem mutuo datam accipiendi, seu usuras lucratorias (abstrahendo, an velis vocare strictè vel minus strictè lucratorias, quia accipiuntur ex aliquo justo titulo.) Ita præter Heterodoxos, Theologos, quos hac in re non magni facio, etiam Catholici, Emmanuel Saà, Adam. Tannerus *de J. & J. to. 3. d. 4. q. 7. dub. 3. n. 79.* Haunold. *de J. & J. to. 3. tr. 9. n. 421.* & teste Tannero multi Scholastici: ex Juriseonsultis D. Gletle *in Assert. Jurid. assert. 54.* Alph. Villagut. Neapolit. *de Usuris q. 13. concl. 4.* Hugo Donell. Jac. Curt. Molinæus, Hottom. Coler. & alii apud & cum Petro Heigio *in Q. Q. Juris. p. 2. q. 1.* Accessit nuper P. Placidus Böckh *h. t. n. 7.* Dixi, moderatæ, & aliunde non repugnantes charitati, seu non mordentes, ut appellantur,

Uu 2

Prob.

Prob. 1. Respublica obtinet dominium alium in bona subditorum, ita ut ex causa bonum publicum concernente de illis disponere, & dominium quoque ab uno in alium transferre valeat, uti patet in lege Præscriptionis: ergo etiam huius domini alii potest moderatas usuras ex Mutuo concedere mutuanti, si detur causa bonum publicum concernens, nempe vel necessitas vel utilitas publica: atqui huiusmodi causæ plures dantur, nimirum *evitatio litium*, quæ aliquando emergent circa titulum exigendi usuras, nempe an mutuans patiatur damnum emergens, lucrum cessans, periculum amittendæ sortis &c. deinde *facilitas obtinendi mutuum*, Reipublicæ membris generaliter valde utilis, imò sæpe necessaria, quod tamen refrigescente charitate non facillè daretur, nisi aliquid indè lucri sperare possunt mutuantes, qui mallent res suas & pecunias retinere, etiam otiosas, quàm translatò dominiò alienæ fidei committere: item *tranquillitas conscientiarum*, & evitatio scrupulorum: demum & *subsidium Ecclesiis, locis Religiosis, causis piis, viduis, pupillis, & aliis personis*, quæ per se ipsas negotiando &c. difficulter vel omnino non sustentare se possent, nisi ipsis liceret ex suis pecuniis mutuo datis lucrum, & indè alimenta quærere. Quod argumentum sic potes contrahere: Respublica propter huiusmodi causas per leges Præscriptionum tribuit ipsum rerum alienarum dominium licitè ac justè, uti fatentur omnes: ergo à fortiori poterit tribuere lucrum moderatum ex rebus alienis in Mutuo. Prob. 2. à posteriori. Recessus Imperii de anno 1530. 1548. tit. Von wucherlichen Co-

tractent. 1577. & 1600. indistinctè approbant usuras moderatas ex Mutuo, nempe quincunces, seu 5. pro 100. Statuta Austriaca semisses, seu 6. pro 100. Idque receptum est universali praxi & consuetudine etiam virorum doctorum, DEúmque timentium, tam Ecclesiasticorum, quàm Laicorum, ita ut etiam in Judiciis nullo alio, præter Mutuum, allegatò titulò petantur & adjudicentur dictæ usuræ: quis autem hæc statuta, & iis consonam praxim tam universalem timoratorum hominum, arguat velut injusta, aut Juri Naturali contraria?

Objic. 1. In *Clem. un. h. t.* reprobantur sub pena excommunicationis omnia statuta, usurarum exercitio faventia, & qui in tantum errorem inciderint, ut eas licitè exerceri posse existiment, tanquam hæretici dicuntur esse puniendi: ergo, sicut Principibus circa materiam hæresis nulla est potestas, ita neque circa usuras aliquid statuendi. 2. In *c. 4. eod.* negatur potestas dispensandi ad usuras accipiendas ex ratione, quia *utriusque Testamenti pagina eas detestatur*, & quia magis sunt prohibita, quàm *pro alterius vita mentiri*: ergo, sicut mendacium, etiam ex bono fine, reddi non potest licitum per ullum statutum aut consuetudinem, ita nec usuræ. 3. Principes nequeunt immutare naturas rerum, & res ex natura sua infructiferas reddere fructiferas: sed pecunia mutuo data ex natura sua sterilis est & infructifera &c. 4. Recessus Imperii & Consuetudo non permittunt usuras ratione Mutui, sed vel ratione *alterius tituli*, saltem præsumpti, v. g. lucri cessantis ex pecunia mutuo data; nam Recessus Spirensis de anno 1600.

f. 139. sic ait: So vil nun disem nach NB. der Vermuthung halber/ daß der Creditor (mutans) sein Geld von solcher Zeit an/ anlegen/ und zugelasener Weisß zum wenigsten vom hundert Gulden fünff wohl haben möge &c. ergo, ubi alius titulus non concurrat, cessat præsumptio, et in foro saltem interno cedere debet veritati: ratione alterius contractus, v. g. Censualis: quæ causa fortè in Germania hæ usuræ vocantur censûs, Jährliche Zinsß. ergo.

§ R. ad I. Illa prohibitio intelligenda est de statutis, improbum fœnus, seu usuras excessivas, mordentes, legi charitatis adversas, non verò moderatas ex causa boni publici, approbantibus; nam Ecclesia nec vult nec potest dominium alium Boni publicæ ab ipso DEO concessum intervertere. Cum hæresi comparari proin nequeunt disetæ usuræ moderatæ ex causa boni publici permittuntur. 2. Aliud est dispensare ex causa privata, seu ab eius privati bonum spectante, & aliud ex causa publica per legem aliquid permittere: per dispensationem nec Pontifex potest usuras facere licitas, bene tamen per legem quilibet Princeps in suo territorio. Reflecte te ad legem Præscriptoris. Cum mendacio, utpote prohibito de iure naturali absoluto, non convenit usura moderata ob bonum publicum permittitur vi domini alii. 3. Quamvis pecunia in se & naturaliter sit infertilis, est tamen civiliter frugifera, si nempe credit vel industria hominis, vel dispositio Legis. Et hinc etiam in pecunia constitui potest ususfructus. l. 1. l. 2. ff. de usufr. ear. rer. qua usum fructum. sic quoque domus fit civiliter frugifera. Ad N. Ant.

N. Ant. utrumque ; nam anteriores Recessus nihil prorsus habent de *præsumptione tituli* ; ille autē de anno 1600. solum ideo dictæ præsumptionis mentionem facit, ut ad minimum *§. pro 100.* mutuo datis adjudicentur, nisi nempe creditor probet, ob lucrum cessans & damnum emergens plus sibi deberi, ut patet ex contextu : ergo *§. pro 100.* non tam propter præsumptionem alterius tituli, quàm absolutè propter Mutuum concedit. Dein si lex vel statutum præsumat aliquid generaliter, in utroque foro vim habet pro omni casu, etsi in casu particulari non subsit, quod præsumit, ut patet in Lege Tridentina Matrimonium clandestinum irritante. Si igitur juxta Adversarios Recessus Imperii præsumit generaliter, justum esse lucrum *§. ex 100.* in mutuante, non cessat vel vim suam non amittit in casu particulari, ubi per accidens non datur lucrum cessans. Et ita Recessum explicat quoque universalis consuetudo. Quòd autem Recessus prædicti non *ratione alterius contractus*, v. g. Censualis, concedant *§. pro 100.* manifestum est textus inspicienti, ubi expressè, & tantum, mentio fit *Mutui, Des Unleyhens.* Cæterum vel in emptione census ex bonis alienis solvendi adest aliquis alius titulus, lucri cessantis, damni emergentis &c. vel non ? si adest, non ex emptione percipitur census ; si non adest, tunc re ipsa idem fit in emptione Census, quod in contractu Mutui, & re ipsa ex alienis rebus percipitur fructus vel lucrum sine alio, quàm *contractus*, titulo. Cur ergo potius ex contractu *Emptionis*, quàm ex contractu *Mutui*, liceat ultra sortem pecuniariam alteri datam aliquid percipere ? Certè tantum mu-

tantur nomina contractuum, re ipsa autem fit idem.

- 6 Dico 3. Usuræ Compensatoriæ. 2. Et Moratoriæ vel Punitoriæ, omni Jure sunt licitæ. Ita communissima ferè omnium excepto Scotô & paucis antiquis. Pars I. fundatur in æquitate Naturali, quæ dicitur, nemini damnosum esse debere beneficium, quod alteri præstat. *l. 7. ff. Test. quemadm. aper.* nec mutuarius ægrè ferre debet, si teneatur mutuantem, benefactorem suum, servare indemnem, & compensare ipsi damnum, quod mutuans incurrit vel meritò timet ex mutuo dato. v. g. si mutuum det frumentum, ac ideo postmodum ipsemet majori pretio cogatur emere: vel si teneatur resarcire lucrum, quod mutuanti cessans ex mutuo, v. g. si pecuniis, quas alteri dedit mutuas, emissit rem fructiferam, agrum &c. vel cum iis negotiando lucrum fecisset vel facere sperasset &c. Ut autem licitum sit ob damnum emergens vel lucrum cessans, exigere aliquid ultra sortem (seu ut liceant usuræ compensatoriæ) requiruntur.
1. Ut Mutuum verè sit causa damni emergentis vel lucri cessantis.
 2. Ut usuræ non excedant damnum vel periculum damni, aut lucrum vel spem lucri.
 3. Ut mutuans præmoneat mutuatarium de damno emergente, vel lucro cessante.
 4. Ut interesse pro illo non statim exigatur, sed primum, quando reddendum est mutuum, post intervallum morale.
- Pars 2. probatur exinde, quod exactio auctarii tanquam pœnæ propter moram in solvendo non est ullo Jure prohibita, imò sibi aperte concessa, quia servit ad firmandos contractus, eosque certius executioni mandandos. *l. 14. C. de Pact. c. 4. de Arbitr.* Nec refert, utrum

pæ-

pœna in morosos mutuatarios constituta sit à Legge, Statuto, Consuetudine, uti constituisse videtur *Recess. Imper. de anno 1600. §. 139. cit.* & consuetudo Germaniæ; vel ex pacto contrahentium: ut autem licita sit hæc pœna conventionalis, requiritur 1. Ut absit omnis fraus, qualis foret, si tempus tam breve præfigeretur, ut mutuatarius nequeat moraliter intra illud exhibere sortem sibi creditam. 2. Ut mutuatarius verè sit in culpa, præfixo tempore vel nolendo solvere, vel culpabiliter se reddendo impotentem ad solvendum. 3. Ut mora sit notabilis. 4. Ut pœna sit moderata, & culpæ proportionata. Ubi statutum vel consuetudo constituit pœnam, præsumi videtur mora culpabilis.

Quæres, quinam sint iusti tituli ultra sortem aliquid exigendi & accipiendi? *R.* 1. sequentes. 1. Damnum emergens. 2. Lucrum cessans, ut explicavi paulò antè. 3. Periculum fortis amittendæ, si nimirum mutuatarius sit pauper, parùm fidus &c. nec mutuanti satis caveat per piguora, fidejussores &c. de recuperanda sorte. 4. Assécuratio fortis, si nempe creditor, seu mutuans, suscipiat in se periculum fortis forsan perituræ, quod periculum aliàs foret penes mutuatarium, cujusmodi periculorum susceptio est pretiò æstimabilis; si proin aliquid juxta prudentis arbitrium exigatur pro ratione periculi, in compensationem exigitur justè, & usura evadit compensatoria. 5. Mora culpabilis mutuatarii, uti dictum. 6. Statutum, aut Consuetudo loci, juxta nos, ut ostensum in *Affert. 2. R.* 2. Iustus tamen titulus non est 1. Sola carentia pecuniæ in alterius gratiam, vel obligatio mu-

Uu §

tuum

tuum non repetendi ad certum tempus; quia illa carentia est aliquid Mutuo intrinsecum, v. g. tem solius Mutui nihil accipi potest: & Alex. VII. damnavit hanc propositionem ordine 42. *Licet non est mutuanti aliquid supra sortem exigere, sed obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* 2. Major æstimabilitas pecuniæ præsentis quàm futuræ; nam Innoc. XI. anno 1679. prescripsit hanc propositionem numerò 41. *cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & melior sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usuras excusari.* 3. Dilatio solutionis pro re vendita. *l. d. 10. h. t.* si nempe venditor plus exigat, quàm justum mercis præmium, ideo præcisè (si nempe alius titulus non accedat, v. g. lucrum cessans &c. ut nempe contingit apud mercatores, qui ex pecunia statim soluta possent facere lucrum negotiando) quia non statim solvitur pretium. 4. Anticipatio solutionis, ut si minus, quàm justum rei pretium solvatur præcisè ideo, quia solutio fit in promptu vel anticipatò, ut colligitur à contrario ex *d. c. 11.* Jam de Contractibus, qui de usura suspecti dicuntur,

8 Dico 4. Emptio censûs, tam realis quàm personalis, tam redimibilis quàm irredimibilis, si debita fiat, est licita, seu contractus Censualis per se non est usurarius. Ita communis. *Census* hoc loco dicitur annua pensio, vel potius jus annuam pensionem v. g. 5. pro 100. percipiendi vel ex re alterius fructifera, & hinc census est *realis*, vel ex industria personæ, per artem, laborem, negotiationem &c.

&c. lucrum facientis, & hic est *personalis*. Si venditor paciscatur, ut sibi liceat pensionem redimere certo tempore, vel quando libuerit, restitutio pretio, vocatur *redimibilis ex parte venditoris*: si emptor quoque reservet sibi jus revendendi venditori repetitio pretio, est *redimibilis ex utraque parte*: si ita paciscantur, ut neutri, altero invito, liceat redimere vel revendere, dicitur *irredimibilis*. Ille, qui emit census, *Creditor* vel *Censualista* nuncupatur: qui vendit, *Debitor* vel *Censuarius*. Ceterum census natura est, ut pereunte re censuali, ex qua praestandus est, & personam ad lucrum faciendum ineptam redditam, pariter cesset, quin ab emptore repeti possit pretium, quia post perfectam emptionem-venditionem periculum est emptoris. *l. i. ff. de peric. & comm. rei vend.* Jam assertio

Probatur quoad censum *realem* ex *c. 12. de empt. & vend. Extrav. comm.* & ex hac ratione; quia v. g. totum praedium, seu jus ad omnes illius fructus, emi licite potest: ergo etiam jus ad partem fructuum, seu pensionem fructuariam: ergo & pensionem pecuniariam licet emere; cum pecunia recipiat aestimationem omnium rerum. Quoad *redimibilem ex parte venditoris* ex *citt. cc. Constit. Cum onus S. Pii V. & l. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.* Quoad *redimibilem ex utraque parte* tum ex consuetudine, tum ex hac ratione, quia totum praedium fructiferum v. g. vel totus usufructus licite emitur & venditur cum pacto, ut cuivis parti liceat redimere vel revendere, uti dictum ad *tit. de Empt. & Vendit.* cur fas non sit pari lege partem usufructus seu censum emere ac vendere? Dein manet adhuc sufficiens differ-

ren-

rentia inter *Mutuam* & *Censum*, quia in illo periculum est penes mutuatarium, & mutans beneficium capit absque onere; in isto autem periculum est penes emptorem, qui & pretium pro pensione debuit exponere. Constitutionibus S. Pii V. & Imperatorum Maximil. I. Caroli V. & Rudolphi II. contrariis derogavit Consuetudo. Quoad *irredimibilem* ex ratione negativa, quia non apparet ulla ratio, cur ita conveniri nequeat. De censu *personali* denique tum ex paritate cum censu reali, praesertim cum in censu personali majus sit periculum pensiones annuas obtinendi; tum ex paritate cum locatione operum pro mercede vel pensione; si enim pro pensione locari potest opera, & conduci, cur emi & vendi nequeat opera, vel pensio ex opera proveniens? Constit. S. Pii V. *Cum onus*, quae videtur prohibita emptio census personalis, vel nunquam est recepta, vel contrario usu abrogata. Dicitur autem, *si debite fiat*, nimirum si pretium attenditur circumstantiis sit justum, & juxta Statutum vel Consuetudinem loci: si res censui subjecta, in scio Censualista, non alienetur in alium, a quo solutio census obtineri nequeat, vel non aliter dicitur culter &c.

- 9 *Objic.* 1. Qui emit censum, v. g. pro 100 annuatim solvendo, post lapsum 20. annorum accipit totam summam capitalem, nimirum 1000 & post 40. annos accipit duplum, nempe 2000 florenos, ac insuper in debito manet tota summa capitalis: sed hoc est iniquum. 2. Non apparet quid ematur in contractu Censuali; nam si dicitur tur emi pensio, ista successu temporis longè

Seco

scendit summam capitalem, ut vidimus: si pensio
 annua cum dilatione solutionis, propter moram &
 dilatam solutionem aliquid exigitur, quod juxta
 plerosque est usurarium: si jus percipiendi pensio-
 nes annuas, emitur aliquid, quod nondum exi-
 stit; si enim jus tempore contractus jam existeret,
 statim prima pensio retineri posset, & pro 100.
 dari possent 95. quod juxta omnes est usura-
 rium; deinde jus ad pensiones tanti æstimatur,
 quanti ipsæ pensiones annuæ, sicut equus &
 jus ad equum parem habent æstimationem: ergo,
 sicut ipsæ pensiones futuræ sortem longè transcen-
 dunt, ita & jus ad illas, consequenter inter datum
 & acceptum non datur æqualitas, adeoque inju-
 stitia committitur. R. ad 1. In æstimatione morali
 illæ pensiones post multos annos successivè sol-
 vendæ non valent plus, quàm pretium emptionis
 datum, & quatenus sunt in spe, non valent tan-
 tum, quantum valerent simul omnes præsentis,
 & quatenus sunt in re; dum contingere potest, ut
 fructus vel non nascantur, vel non solvantur: pen-
 siones autem pecuniariæ variis periculis, labori-
 bus, & molestis sollicitudinibus obnoxie sunt.
 Dein *retorq. argum.* si ipsa res frugifera tota, v. g.
 ager, ematur v. g. 1000. florenis, post 20. annos
 inde percipi possunt tot fructus, qui adæquant
 vel superant 1000. florenos, & post 40. annos
 duplum, ac insuper manet ager ementi. Et hoc
 juxta te licet: cur ergo non liceat ita emere par-
 tem fructuum agri per constitutionem censûs.
 Ad 2. dico, quod ematur jus percipiendi pensio-
 nes annuas futuras, quod jus sufficienter est præ-
 sens, & existit, ut si ematur jus piscandi, captus
 pis-

piscium &c. Neque hoc jus moraliter tantum
æstimatur, quanti pensiones actu jam soluta. Pa-
ritas cum equo & jure ad equum non est, quia
equus simul & semel existit, non autem pensiones,
10 successive quotannis solvendæ.

Dico 5. Usuram per se non continent 1. Cam-
bium. 2. Montes pietatis. 3. Pactum de restitu-
endo Mutuo in eadem forte, bonitate, & quanti-
tate. 4. Contractus societatis. *Cambium* dicitur
est contractus permutationis in pecunia factus
cum moderato lucro: si pecuniæ sortis ac spe-
ciei diversæ commutentur, v. g. denarii, solidi
vel alia moneta minor detur pro majori, talens
floreus; vel moneta argentea pretio æquivalens
pro aurea, vocatur *reale* vel *manuale*: si autem
pecunia præsens pro absente & cum obligatione
ut in alio loco sibi vel alteri in eadem quantitate
reddatur alia pecunia, v. g. Romæ, Francofurti
&c. dicitur *locale*, vel, quia refugio demandatæ
folet per litteras, *litterarium*: qui pecuniam in
loco recipiendam, offert, *Campsarius*, qui præsentem
tenetur, *Campsor* appellatur. *Cambium* ex multis
titulis fit licitum, nempe propter laborem & cura-
ram in aggregandis variarum specierum moneta-
rum, in earum numeratione, transportatione, scri-
bendis litteris &c. propter sumptus in habenda
& sustentandis famulis rei peritis ac fidelibus
propter pericula amittendi pecunias in viis, in
tandi valoris monetarum &c. quæ in se sufficiunt
campsor; cujusmodi causæ omnino sufficere
justè exigatur lucrum, majus vel minus pro
vitate periculorum, magnitudine sumptuum,
borum, sollicitudinum &c. *Montes pietatis*

sunt araria, piorum hominum liberalitate, ad
 sublevandas indigentium necessitates mediante
 Mutuo, & publica auctoritate constituta, ex qui-
 bus pecuniæ mutuantur petentibus ea lege, ut pro
 asssecuratione illarum dent pignus, & si debitum
 præfixo tempore non solvatur, vendatur pignus
 pretiò, quo potest, maximò: ex quo pretio sol-
 vitur Monti fors credita, & subinde etiam modi-
 cum quid ultra, v. g. 1. pro 100. ad sustentandos
 ministros, qui debent habere pecunias paratas,
 pignora custodire, distrahere &c. non sine ma-
 gno labore: residuum verò pretii ex distracto pi-
 gnore collecti restituitur mutuatario. Hujusmo-
 di Montes licitos esse Catholici plerique defen-
 dunt contra quosdam Hæreticos, partim ob alla-
 tam rationem salarii ministrorum, partim propter
 Concil. Lateran. sub Leone X. *sess. 10.* & Trid. *s.*
22. c. 8. de Res. Et sic probata est pars 1. & 2.
 Pars 3. sumitur tum ex *c. fin. V. ille quoque h. t.*
 tum ex eo, quòd fervetur æqualitas inter datum
 & acceptum, atque periculum damni, & spes lu-
 cri, ex utraque parte sit æqualis. Excipe, nisi
 mutuans prævideat, certò vel probabiliùs majore-
 rem tempore solutionis fore valorem, nec ipse
 eam servasset in illud tempus. *c. fin. cit.* aut nisi
 obliget mutuatarium, ut antè non reddat mutuum,
 quàm valor vel pretium rei creverit. Pars 4. ex
l. 1. 2. seqq. Inst. de societ. l. 31. ff. & t. t. C. pro so-
cio. Est autem *contractus societatis* ille, quo duo
 vel plures conferunt res & operas suas commu-
 nis lucri gratiâ, vel quo unus res, & alter ope-
 ras: si tamen conferens res vel pecunias id age-
 ret, ut sibi quidem commune cederet lucrum, fors
 tamen

tamen salva persisteret quocunque casu eveniente, usuram non evitaret. *l. 29. §. fin. ff. cod.*

II. Dico 6. Usuram e contra, palliatam nempe, involvunt contractus, & pacta sequentia, 1. Contractus *Mohatra*, quando quis vendit rem magis pretio cum pacto, ut emens ipsi statim revendat pro pretio minore. 2. Emptio chirographi, seu nominis, aut debiti alieni pro minori pretio, v.g. si debitum alienum 100. florenorum ematur pro 80. florenis. 3. Anotocismus, per quam intelliguntur usurae usurarum, seu lucrum ex ipsis usurae nondum solutis, in sortem tamen redactis, peritum, v.g. si fors credita sint 1000. & usurae somtuarius verò non solvat hos 50. & tu postea ex his 50. tanquam ex novo mutuo post anni lapsum exigas duos cum dimidio florenos. 4. Pactum antichreseos, quo id agitur, ut mutuarius mutuanti permittat fructus rei oppignoratae, v.g. praedii vel agri hypothecati, donec debitum exolvatur. Pars 1. manifesta est tum per se, tum ex propositione 40. ab Innoc. XI. damnata. Pars 2. et propositione 41. ab eodem Innoc. proscripita, & exinde, quia pretium 80. non adaequat valorem 100. florenorum, & virtualiter idem est, ac si quis 100. daret mutuos, & statim 20. retineret pro lucro, quod utique iniquum est, & usura, sed, quia explicitè non celebratur contractus Mutui, seu Emptionis, palliata, seu pallio emptionis involvitur, atque ideo in foro externo non facile permissibilis. per *c. 6. h. t.* Si tamen, ut facile contingit, alius titulus interveniat, ut si debitum alienum sit dubium vel litigiosum, si pro eo obimentum faciendi sint sumptus, vel aliàs difficulter sit obimentum

nibile &c. licitum utique est tale chirographum
 minori pretio emere. Pars 3. ex Jure Naturali
 & Divino usuras merè lucratorias prohibente;
 nec usuras usurarum approbat ullum statutum
 aut consuetudo Imperii Romani; imò, etsi adesset
 alius titulus damni emergentis, lucri cessantis &c.
 tamen saltem à Jure Civili usuræ usurarum prohi-
 bentur. *l. 29. ff. l. 3. l. 28. C. de Usuris.* Si autem
 usuræ priùs fuissent solutæ, & ab accipiente cre-
 derentur de novo, foret novum mutuum, conse-
 quenter ex iis usuræ moderatæ exigì possent, sicut
 ex forte ac mutuo priore. Pars 4. ex *c. 1. 2. 8.*
h. t. c. 6. de Pignor. quod tamen intelligi volo
 de casu, quo nullus alius præter Mutuum inter-
 venit titulus. Unde in Germania vi Statuti &
 Consuetudinis licitum est ex re oppignorata pro
 mutuo fructus percipere, qui non excedunt 5.
 pro 100. Item licitum est marito fructus rei pro
 dote nondum soluta sibi oppignoratæ. *c. 16. h. t.*
 & domino directo ex re feudali sibi oppignorata
 percipere. *c. 1. h. t.* qui casus sunt excepti.

Dico 7. Usuras sine titulo & sic illicitè petitas ¹²
 nemo tenetur solvere, licèt promiserit. 2. Si quis
 autem juratò promississet, teneretur ex Religione
 vi juramenti (nisi priùs obtineret hujus relaxatio-
 nem) non ex Justitia. 3. Solutas autem quan-
 tocyus in Judicio repetere possent. Communis ex
 famoso *c. debitores. 6. de jurejur.* Si quis autem
 jurasset se solutas nec repetiturum, possent nihilo-
 minus & deberet usurarius à Judice ex officio com-
 pelli ad restituendas. *c. 13. h. t.* Qui enim juravit,
 se nolle repetere, non juravit, se nolle recipere.
Objic. Qui solvit usuras illicitè exigenti, coop-

Pars II.

Xx

ratur

ratur alterius peccato : ergo nec ex juramento obligatur solvere, cum juramentum nequeat esse vinculum iniquitatis, & compellere ad solvenda usuras illicitas. *R. N. ant.* Qui enim ex necessitate vel justa causa urgente (qualis datur in mortuum petente ex indigentia, & usuras promittente ac solvente) facit aliquid de se indifferens & non peccaminosum, non censetur cooperari alterius peccato, sed permittere alterius malitiam, ad quam aliunde jam est determinatus : sed solvere usuras de & per se peccatum non est, quamvis exigere sine titulo justo peccatum sit.

13 Dico 8. Usuras iniquè acceptas restituere in utroque foro tenetur, & compellendus est non solum usurarius ipse (etiam mentalis. *c. 10. h. 1.*) quisquis fuerit. 2. Sed etiam cooperantes efficaciter ex parte mutuantis, & quidem in solidum, casu quo usurarius non restituit. 3. Imò & heredes usurarii pro rata (non in solidum, si plures sint) quantum patiuntur vires hereditatis. 4. Si res usuraria adhuc exstet, & non sit commixta vel confusa cum rebus propriis, tenetur quilibet, & quidem *ex re accepta*, eam restituere, cum fructibus, si res fructifera sit, tam percipiendis quam perceptis, & cum omni damno & interesse, quod inde passus est mutuatarius : si autem pecunia vel alia res usuraria sit permixta vel confusa cum rebus propriis usurarii &c. is acquisivit earum dominium, & solum *ex injusta acceptione* tenetur restituere. Ita plerique omnes *ex c. 9. 10. 12. h. 1. c. 5. de Raptor. c. ult. de sepult. & c. 9. cit. ubi heredes obligantur.* Id quoque exigit natura justitiæ Commutativæ, & postulat ratio ; quia, si re-

usuraria adhuc existat non permixta cum bonis propriis, est aliena, & clamat ad dominum cum omni emolumento suo, ubicunque existit; si non existat, refarcitionem damni injustè dati & accepti urget mala fides, injuria, cum qua nemo ex alieno ditari debet, mutuatario illata, & delictum, atque radix *injusta acceptionis*, licet cooperantes fortè non sint facti ditiores; quia fuerunt causa efficax damni injustè dati. Sed cui facienda est restitutio? R. Illi, qui per usuras est læsus, vel, si jam obiit, ejus hæredibus, & si neque hæredes existant, vel ignorentur, causis piis. Text. & DD. *in c. 5. h. t. c. 16. de Judais.* retineri enim usuræ non possunt tanquam bona ex delicto contra Justitiam acquisita.

Dico 9. Pœnæ usurarii (manifesti tantum. *c. 5. 14 cit.*) de Jure Canonico sunt. 1. Infamia. *can. 2. §. fin. caus. 3. q. 7.* 2. Depositio, vel saltem suspensio, si usurarius sit Clericus. *c. 1. & 7. h. t. si Laicus, excommunicatio, & hodie ipso facto. c. 1. eod. in 6.* 3. Ejus oblationes, in Ecclesia factæ, sunt rejiciendæ. *c. 3. h. t.* 4. Ejus testamentum, vel alia ultima voluntas non valet, nisi usuras actu restituerit ante mortem, vel de restituendo idoneè caverit. *c. 2. eod. in 6.* 5. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, nisi restitutio, vel cautio idonea de ea præcesserit. *c. 2. 3. cit.* De Jure Civili non reperitur pœna statuta, in Recessu tamen Imperii de anno 1530. *Von wucherlichen Contracten. §. 7.* præter annulationem contractûs mulctatur quarta parte fortis, cessurâ Magistratui, si quis ultra permissam in Imperio quantitatem, vel aliàs injustè, exigit usuras. In aliis locis, uti in Austria teste Greneck *h. n. 16.* totam sortem amittit. Cæ-

terum usura est crimen mixti fori. c. 7. & 12.
h. t.

35 Occasione *Mutui*, in quo locum habent usurae, de quibus hucusque, quæres, quid filiofamilias, seu in patria potestate adhuc constituto, etiam majorenni, concedat *Senatus-Consultum Macedonianum*? R. Filiusfamilias sine consensu patris accipiens mutuas pecunias in foro externo perpetuam habet exceptionem contra mutuante[m], ut exigenti mutuum ad nihil condemnandus sit ipse, vel pater ejus. t. t. ff. & C. de S. C. Macedoniano. Imò interveniente exceptione, qua utpote à legibus justè concessâ uti utique potest, etiam in foro interno uterque securus est, etsi nummi mutuati adhuc existent, vel filiusfamilias ex sua suam (non patris) utilitatem conversis factus sit ditior. l. 9. §. 2. 4. ff. eod. Si tamen mutuum jam solvisset, repetere non posset. l. 9. cit. §. 4. & l. 10. seq. item si exceptione hac non uteretur, vel uti non posset ex quadam causa, vel utendi occasio non esset, quia v. g. mutuans in Judicio non repetit usuras, & insuper pecunia mutuata in se vel in æquivalenti existeret adhuc, foret obligatio restituendi saltem in foro interno; quia et nullo Jure Positivo (nam hoc secluso obligatio Naturalis ad reddendum mutuum) probatur facultas retinendi independentem ab exceptione, si ex mutuo factus est ditior; neque pro hoc casu pugnat ratio, propter quam filiofamilias concesserunt Leges dictam beneficium S. C. Macedonianum, quæ alia non fuit, quàm ne filiofamilias nimis ære alieno, quod contrahitur ex mutuo, obrem parentum vitæ insidias fruendi ansam arripiant, et habe-

habere, unde solverent, vel, si eorum mortem expectarent, mole sc̄noris nimium excre-
 scens opprimerentur. Unde filiusfamilias, ex
 mutuo ditior effectus, renuntiare quoque potest
 privilegio S. C. Macedoniani; quamvis nec jura-
 to renuntiare eidem valeat, si inde factus non sit
 ditior, ut habet communis contra Less. Fachin.
 & D. Rudolphi in *Pallad. tog. q. 27.* quia talis
 renuntiatio cederet in præjudicium tertii, nempe
 patris, inde exponendi periculo insidiarum, &
 Reipublicæ.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

1. *Falsum, & Crimen Falsi quid.*
2. *Quibus modis committatur.*
3. *Quomodo puniatur.*

Falsum, vel falsitas, latissimè sumitur pro
 omni eo, quod non est verum: latè autem
 pro immutatione veritatis facta cum dolo,
 & animò decipiendi, ut est omne mendacium: de-
 mum strictè & huic loco propriè accipitur pro
 immutatione veritatis dolò malò facta in præjudi-
 cium alterius. Si omnia hæc tria, immutatio
 veritatis, dolus, & præjudicium tertii concurrant,
 dicitur *crimen falsi*, & notatur à Jure, h. e. spe-
 cialiter punitur, & quidem primitus illud tantum,
 quod committitur circa Testaments, à *Lege Cor-
 nelia de falsis*, quæ idcirco *Testamentaria* appella-